Has ex ferro fusas vili praetio acquires Leodij Namurci, et in partibus illis circumvicinis, modo eo formam unam, ex cupro vel tegula, aliaque simili materia duriori miseris, ut ad eius normam ferream fundant: non vero mittenda est lignea, quantumvis accurate tornata, quod lignum pro ut aer nunc humidior nunc ficior fit, figuram suam continuo immutat: insuper quod materia illa terrea, quam formis circumponunt humectata fit, atque ideo formam ligneam immutat.

Fusas iam formas levigabis illisque perfectissimam figuram sphaericam (si forte fusione ut plerumque fit aliquid erratum fuerit vel forma minus scabra fit) induces, hoc modo. Liquefactae pici acidiae, Belgice *Steenpek*, insperge, et immisce crassiusculum pulverem lapidum, quibus ferramenta et arma poliuntur et nitidantur: aut pulveres laterum coctione nimia vitrescentium, aut lapidum molarium: quam lapidosam materiam, ut concreverit et dum adhuc calet capulae lignae cuius diameter sit 4 digitorum affiges, dein formae apprimes et manibus adaptabis, ut materia lapidea ipsae formae prius madefactae quasi adhaereat illamque ubique tangat: dein edueta capula ferro candenti, extimam et convexam hujus materiae crustam liquefac, illique imprime hinc inde crassiores particulas lapidis Smiri, Belgice *Ameril*, et rursum dum adhuc materia calet formae apprime, ut rursum pristinam figuram accuratè acquirat qua frige facta et tota indurata, formam ferream quaquaversum atteres. ita indues figuram accuratissimam concavae sphaerae: non enim potest unum corpus alterum quaquaversum atterere et ubique attingere quin utrumque habeat figuram sphaericam vel planam.

Formarum ferrearum loco aliquando usus sum formis ex ere¹⁾, stanno, Arsenico, et tartaro certa proportione simul mixtis, fufis, quae formae etiam valde durae sunt et a quocumque eris¹⁾ seu tormentorum bellicorum fusore fieri possunt: usus sum hisce formis non tantum ut duriores haberem: sed ex eo, quod haec materia sit elegantissima pro speculis efformandis, ita ut cum aliquo tempore vitris tritrandis usus eram forma ex hac materia fusa, unà haberem speculum concavum optimum. Hanc materiae commixtionem et fundendi modum flandrice hic adscribo, pro ut illam ab ipso artifice ne verbo quidem mutato accepi.²⁾

¹⁾ Lisez: aereis; et plus bas: aere, aeris.



A capula lignea.
BDC mixtura capulae affixa.
D pars inferior mixturae qua formas exterimus.

Diameter formarum sit 7 vel 8 pollicum pedis Reynlandici in 10 divisi: maiores improbo, quod nimis difficulter illis figura sphaerica inducatur: multo minores quoque, quod liberam dum terimus manus gyrationem impediunt. Vitra vero minoris sphaerae puta cuius diameter sit tantum unius, duorum aut 3 pollicum in similibus formis vix parabis, quod exiguitas formae manus liberum motum impediatur: difficultatem vero superabis; si modum in adiuncta (schedula²⁾) descriptum sequutus fueris: illo enim modo etiam minutissimae sphaerulae segmenta concies. Haec de convexis.

In cavis formandis non tanta est difficultas, modum autem commodissimum reperimus illum quem in adiuncta (schedula²⁾) descriptimus. Ut capulo ligneo vitra affigas mixturam concies, ex cera Colophone et pulvere tenuissimo laterum coctilium cribrato, simul mixtis, aliqui addunt sulphur, nos ob foetorem omisimus: Experientia proportionem miscendorum docebit: aliquando cum praefata pice acida et carbonum pulveribus simul commixtis vitra capulis affiximus. Vitro capulae affixo et perfecte levigato hac arte tollis: capulam manu sinistra tenebis, et dextra manu malleo capulam feries, cavendo ne tangas malleo vitrum, et repetitis ictibus pulcherrime decider vitrum, nullo ruptionis, seu fissurae periculo: gypso nunquam vitrum capulae affiximus.

Omnis arena bona, modo tenuis et cribrata fuerit: prius in sicca arena terimus, et cum iam vitrum formae figuram accepit, arena madefacienda, tum in eadem arena vitrum tam diu terendum usque dum, quasi halitu infectam polituram acquisiverit. Hoc factò ab omni arena expurgatà formà, ut ultimam polituram vitro inducas, tenuissimam papyrum fornicem gelutinae (quo militum pepla vel colaria nostra firman- tur) ex amijlio confecto, Belgice *lyffel*, affigo, qua probe exsiccata, cultello omnes papiri inaequalitates abrado, usque dum manu seu digitis papyrum palpitando nihil amplius inaequale reperiatur: dein pulverem terrae [?] tripolitanae non arenosae inspergo, et illum pollice per papyrum quaquaversum duco et afficio, ut ita tota ea terra infecta videatur: super qua lentis ductibus vitrum capula adhuc affixum affrico, dum interim capulam in manu circumverto, sic brevissimo tempore, imo medio quadrante polituram induces perfectissimam: sed hic unice cavendum est ne ex vestibus vel ex lacunari vel per fenestras arenula aliqua vel durior aliquis pulvisculus advolet, et in formam incidat totumque vitrum iam perfectum corrumpat: alterum est quod passim omnes nemine adhuc quod sciam animadvertente decepti, est quod cum vitrum rotundamus, instrumento vitriarjis notissimo, partes extremas vitri valde inaequales et scabiosas relinquamus, quae dum vitrum in charta polimus facile rumpuntur, et nobis incisjs in papjrum incidunt, et integre vitrum corrumpunt, hoc vitium superabimus, si primo in schirella seu forma multo minoris sphaerae vitri limbum atteramus, vel in cono cavo ferreo super schammum tornatorium rotato: etiam dum vitrum in arena madida terimus, saepius arena a capula expurganda est: ne si forte arenula aliqua crassior adhuc vitro seu capulae adhaerescens, casu in formam incidat, et vitrum fere perfectum, multis lineis seu fulcis vitiet.

²⁾ Nous n'avons pas trouvé ces deux instructions.

N^o 153.

CHRISTIAAN HUYGENS à G. VAN GUTSCHOVEN.

6 MARS 1653.


*La minute et la copie se trouvent à Leyden, coll. Huygens.
La lettre est la réponse aux Nos. 151 et 152.*

do. 6 Martis 1653.

Clarissimo Eruditissimoque Viro Domino GERARDO GUTSCHOVIO
CHR. HUGENIUS S. D.

Litterae tuae quas 10 Februarii dederas non ante 20 mum reditae mihi fuerunt, quibus tamen antea rescripsissem nisi per dies aliquot ferias atque otium mihi ipse indixissem firmandae valetudinis causa, cui cum studijs nostris minus bene convenit quam vellem. Praecepta artis perspicillariae tam laetus accepi, quam cupidè expectaveram, quae si feliciter effecta reddere potuero, et lentes tam accuratas nitidasque expolire, quam sunt eae quas in tubo D. Edelherij infertas vidi, puto me, inventum telescopiorum quousque licet promovere posse. Verum omnino tuis longioribus opus esse comperi, neque unquam fieri posse ut tubo brevi multum augeantur visibilia simulque lucida conspiciantur, etiam si Hyperboles aut Ellipsis figuram vitra recipiant. Obscuritatem enim inducit augmentum necessàrio, eaque obscuritas rursus amplitudine aperturæ lentis exterioris corrigitur; Verum nullae lentes aperturam valde magnam patiuntur, et Hyperbolicae nihilo forte majorem quam sphaericae propter incommodum colorum, hi namque inde proveniunt quod versus margines lentis cujuscumque sensim majori angulo superficies inclinantur. Videris autem circa lentes sphaericae figurae paulo iniquius sentire, cum nihil perfecti earum ope assequituros nos existimas, quae tamen nisi essent, nihil ad hunc usque diem effectum fuisset. Imo vero non multo Hyperbolicis deteriores esse arbitror ejusque opinionis rationem reddam in tractatu eo quem nunc prae manibus habeo. Sed illud interea declarandum est quo sensu dixerim in lentibus pro concursus puncto tale inveniri ultra quod nullus radius conveniat cum lentis axe.


Verum est, omnem radium axi parallelum si modo lentem penetret cum axe ipsi convenire, sed hoc nullo modo dictis meis adversari, ex figura hic adscripta facile intelliges. Radij AB, DE axi NH sunt paralleli. Quorum AB cum axe concurrunt in puncto C; sed DE in puncto F, paulo ulterius quam C, quia axi propinquior fertur, nam hoc demonstratum habeo, atque ita quo propiores axi sunt radij



incidentes eo cum axe semper conveniunt ulterius; Sed hic jam unum punctum determinatum est puta K, ultra quod nullius radij concursus pervenire potest, idque punctum focum lentis esse manifestum est, et quomodo inveniatur superioribus literis *) tibi nisi fallor ostendi. Similiter si radij exeant è puncto aliquo axis ut L, ij rursus punctum concursus alicubi habebunt ut M, determinatum videlicet eo modo quo punctum K. Sed ut hoc accedat oportet, distantiam LH majorem esse quam OK, hoc est quam distantiam puncti concursus parallelorum à lente. Nam si radij procedant à puncto N, et sit NH brevior quam OK, non convenient ij cum axe post lentem, sed ita ferentur post refractionem quasi ex puncto aliquo magis remoto prodeuntes ut P. Et horum quoque punctorum locos facile per nova problemata mea invenio. Porro quod sensibilem tibi latitudinem obtinere haec concursus puncta videntur, nescio unde id conicias, nisi forte spatium illud in quo lens soli opposita comburit pro latitudine puncti concursus habueris radiorum parallelorum. Ita vero nequaquam aestimari convenit, quum spatium istud latitudinem accipiat ex angulo sub quo sol nobis apparet. Quod adeo verum est, ut si lentem haberemus quae combureret ad distantiam pedum 100, ejus focus propemodum pedalis latitudinis futurus esset; ac propterea nequaquam calidus, nisi lens ipsa mirifica magnitudinis existeret. Contra verò quam planè insensibilem amplitudinem habeat punctum concursus radiorum parallelorum vel qui ex uno aliquo puncto prodierunt, demonstrat pictura per lentem convexam in cubiculo obscuro nitidissima, si modo lentis superficies non nimis magnam superficiei sphaericae portionem complectantur. Quae certè pictura nequaquam tam subtilis contingeret, nisi qui ab uno puncto venerunt radij in alio quam proximè congregarentur. Sed et numeris haec saepe examinavi, quibus solis percipi potest quantum ab accurata ratione ista dissent, oculis vero non facile. Quod proportionem refractionis vitri determinas eam quae est 20 ad 13 sive 600 ad 390, quam ego scripseram 600 ad 397, credo equidem accuratis observationibus usum te fuisse, sed mihi omnium certissimae videntur, quae ex coloribus iridis habentur. Nempe sicut ex angulis semidiametri iridis caelestis utriusque Cartesius aquae refractionem invenit verae proximam; Ita ego comparato mihi exiguo cylindro vitreo minimi digiti crassitudinem habente, soli eum exposui, observavique instrumento Geometrico sub quo angulo color ruber apparet. Et sic comperi semidiametrum maximam iridis primariae in pluvia vitrea fore circiter graduum 21.50. secundariae minimam graduum 89. atque inde porro non tabularum ope quas ad modum Cartesii construere longum esset sed per regulas quaedam refractionis proportionem eam reperi qualem paulo antea statui. Quoniam verò perutiles eae regulae sunt ad aliorum quoque diaphanorum refractiones indagandas, etiam liquidorum si sphaerulas vitreas ijs impleverimus, gratiam abs te initurum me puto, si hic eam adscripsero. ego certè cum invenissem, non parum gavifus sum. Cognito

*) La lettre N^o. 135.
Oeuvres. T. I.

igitur praecedenti experimento angulo sub quo femidiameter maxima iridis primaria appareat (imaginariae tamen, namque ex una gutta de tota iride pronunciamus) sic procedendum est. Inveniatur numerus qui ductus in quadratum suum multatum¹⁾ triplo quadrato tangenti dimidij anguli ejus sub quo femidiameter iridis maxima conspicitur, fiat aequalis quadrato ejusdem tangenti ducto in ²⁾ duplam secantem suam. Hoc autem invenire solidum est atque expediri potest vel per Cardani Regulam vel commodius per methodum Vietae, problemate 11 de numerosa potestatum affectuum resolutione. Repertus porro numerus dictae secanti addatur; et sicut haec summa ad radium qui est in canone ita sit radix quadratica edueta ex quadrato ejusdem summae et triplo quadrato radij ad alium numerum. Is ad ipsum radium habiturus est proportionem eam quae est Refractionis. Contra vero proportione refractionis data, invenitur femidiameter iridis ope regulae hujusmodi quae priori facilius est. Ut minor proportionis terminus ad majorem ita sit radius circuli qui est in canone ad alium numerum. Ejus numeri quadratum auferatur à quadruplo quadrato radij, et ex residui triente eliciatur radix quadrata. dein ut major proportionis terminus ad minorem ita sit radix inventa ad alium numerum, et quaeratur cujus anguli sinus sit hic numerus. Nam si ab anguli hujus duplo auferatur angulus cujus sinus est radix praedicta, reliquum bis sumptum dabit angulum femidiametri iridis quaesitum. Habes quae pertinent ad methodum qua ego refractiones metior, et velim nihilominus vestram quoque lubenter doceri, quae si eadem est quam Cartesius in Dioptrici tradidit, scito breviori constructione ipsum uti potuisse. Nam translato in charta triangulo ipsius BPI, ducenda tantum est



PL ipsi PB ad angulos rectos, et habebitur proportio refractionis PI ad IL, neque hujus longa demonstratio est, sed cui tamen scribendae superfedere volo, ne molestus sim. Illam autem lentem ex sphaericis superficiebus talem confici posse ut radios ad datum punctum tendentes in alio puncto dato omnes colligat accuratè, ejus demonstrationem habeo evidentissimam, verum haec à reliquo tractatu seorsim tradi nequit. Auctores quatuor vitrorum expoliendorum quos nominasti omnes jam ante legeram, sed tu paucis paginis multo plura comprehendisti atque utiliora pro quibus non tantum agere gratias sed et referre si quà potero paratus sum. Libelli mei exemplar alterum in locum deperditi mitto ut denuo ubi commodum erit *ézetarou* istam perlegas. Vellem otij plus tibi suppetere, cujus tamen cum subinde particulam nancisceris, memineris nihil mihi literis tuis magis acceptum esse. Vale.

¹⁾ „Multatum” significat: „diminué de”.
²⁾ „Ducto in” veut dire: „multiplié par”.

N^o 154.

CHRISTIAAN HUYGENS à D. LIPSTORP.

7 AVRIL 1653.

*La minute et la copie se trouvent à Leyden, coll. Huygens.
 Lipstorp y répondit par le No. 156.*

LIPSTORPIO.

7 Apr. 1653.

Quicumque istis animi atque ingenij dotibus exornati sunt quas in te Vir Praestantissime, haud obscure animadverto eorum ego amicitiam ut aequum est ambire soleo atque omnibus modis demereri, nedum ut ultro delatam avidissime suscipiam atque amplectar.

Equidem Tibi non mutuam affectum tantummodo debeo sed gratias quoque profecto amplissimas, quod tantis tamque pulchris encomijs decoratum oculis hominum exponere volueris, etsi te videam in his minimum veritati, at plurimum benevolentiae tribuisse. Si specimina tua ¹⁾, si redivivum Copernicum laudibus vicissim meritissimis extollam, nolito credere id eo à me fieri quò mutuas vices rependam; ejusmodi enim ista mihi videntur ut vel ab invititis atque invidentibus admirationem sint reportatura, sive floridi styli confidero elegantiam, sive rationum rerumque pondera, sive omnium scientiarum omnisque cultioris literaturae copiam uberrimam exquisito judicio digestam. Gratulari lubet manibus illustri Cartesij cui talis contigit virtutum suarum enarrator simulque adversus aliquorum iniquissimas obrectationes disertissimus vindex. Tam bona causa suscepta, omnes tibi Vir Clarissime eo nomine obstrictos habes, quorum studia divinis suis inventis ille promovit; sed inter hos nemo referendae gratiae magis idoneus Praestantissimo Schotenio nostro. Itaque omnino gaudeo hunc tibi praeceptorem nobilissimae artis contigisse, è quo tot tantaque discere te posse atque jam didicisse scio quae frustra alibi quaesivisses. Nunquam hercule nisi doctior ab eo discessi quotiescunque de communibus studijs sermones miscere liceat, quorum equidem gratia non semel Leidam commeavi at nunc quum denuo adveniam id petam ab ipso inprimis ut ad Humanissimum Lipstorpium me deducat, quocum propiores jungere dextras et de rebus quampluribus communicare dici non potest quantopere id desiderem.

Itaque Vale Vir Doctissime atque interea absentem amare perge.

¹⁾ D. Lipstorp, Specimina Philosophiae Cartesianae partibus III. Scilicet de certitudine hujus philosophiae, de motu & de aere, cum mantissa, num ex falsis possit directe verum elici. Quibus accedit ejusdem authoris Copernicus redivivus. Lugd. Batav. Joh. et Dan. Elzevier. 1653. II Vol. in-4^o.

N^o 155.

CHRISTIAAN HUYGENS à FR. VAN SCHOOTEN.

[7 AVRIL 1653].

*La minute et la copie se trouvent à Leiden, coll. Huygens:
Van Schooten y répondit par le No. 158.*

SCHOTENIO.

Esti neque antea praefens mihi neque nunc per literas Praestantissimum Lipstorpium eruditione atque omni virtute insignem depraedicaesses¹⁾, satis tamen ex specimen eo quod una cum literis tuis²⁾ atque ipsius³⁾ mihi redditum est et commendatus fuisset et cognitus; planè enim auctoris sui imaginem refert, eumque non modo doctrina varia excultum ingenioque verè philosophico praeditum exhibet sed et comitatis suae morumque suavitatis characterem habet verissimam. Tibi gratias unicè debeo qui tali me viro conciliaveris, quem ego jam ita amo ut summo teneat videndi ejus compellandique desiderio. Quanquam unum verear, ne notior factus dissimilem me inveniat illi Hugenio quem tu ipsi depinxisti. Quod enim tam praeculare de nobis sentit atque in utroque Libro non semel principibus miscemur achivis id non tam merito meo quam tuae commendationis auctoritate evenire existimo, verum haec ut ut se habeant comperi certe non parum me tam honorifica mei mentione excitatum, adeo ut qui valetudinis causa jam aliquandiu orio indulsissem, novo rursus impetu intermissa studia repetere quibus jam continenter inhaerere est animus ut tandem ad umbilicum perducatur de refractionibus tractatus, quem me etiam invito video jam publico promissum.

Tui autem libri aliquot jam plane maturuerunt neque diutius eos Geometriae studiosis invidere debes. Quis autem vir iste non inelegans quem Lipstorpium simplicium tuorum Problematum inventionem sibi arrogare velle subindicat. Gaudeo equidem id effecisse eum quicumque tandem est, ut maturius ea visuri simus. Sed an non idem de Planis locis tibi metuendum est? Equidem vellem simili necessitate eos tibi extrudi, nisi jam sponte praelo subdis, credito tibi non multum ad magni Geometrae cognomen defore cum problemata ista tuo ingenio eruta deberi docebis. Vale.

Libros 5 quorum seriem subiectum hic vides velim ut mihi in auctione quae mensis hujus apud Elzevirios⁴⁾ habebitur coemi cures.

¹⁾ Dans la lettre N^o 92 du 31 mars 1651 à Chr. Huygens, van Schooten parle de Lipstorp en termes bien favorables.

²⁾ Cette lettre n'a pas été retrouvée.

³⁾ A cette lettre, qui nous manque, la lettre N^o 154 doit être la réponse.

⁴⁾ Catalogus variorum et insignium in quavis facultate, materia et lingua, Librorum Bonaventurae et Abrahami Elzevirii, quorum auctio habebitur Lugduni Batavorum in officina defunctorum ad diem 16 Aprilis, stylo novo, et sequentibus: 1653, Lugd. Bat. ex Typogr. Elzevir. 1653. in-4^o.

N^o 156.

D. LIPSTORP à CHRISTIAAN HUYGENS.

20 AVRIL 1653.¹⁾

La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.

Elle est la réponse au No. 154. Chr. Huygens y répondit par le No. 157.

Χαίρειν.

Vir Clarissime Nobilissime, Favitor
et Amice plurime honorande.

Accepi literas Tuae Nobilitatis amoris et affectus sinceri plenissimas, quibus mihi ianua referatam videns ad illam, quam dudum exoptavi, amicitiam tuam, nolui committere, ut mea diutius desiderares officia, ideoque ante ostidium Hagam Comitit excurri, eadem tibi oblaturus; sed, quae fuit mea infelicitas, acerbo valetudinis nuncio me ablactasti. Dolui profecto intimè non tam meam conditionem, quae me sereno tuo vultu, et dulcissima conversatione privabat, quam illam fortem, quae te dirissimis febrilibus cruciatibus addixerat. Causam morbi apud animum reputanti sese protinus offerebat nimia illa diligentia, qua inflammatus conficere voluisti Refractionis melemata dudum à te concinnata, mihiq; ex unico specimine, cuius copia per Clarissimum Dominum Schotenium mihi facta est, vehementer probata. Equidem non distiteo extollendos esse istos Tuae Nobilitatis liberales conatus, quibus continuo Rempubliam literariam sibi devincire studes, cuius oculos in te defixos esse non ignoras, esse autem cum discrimine salutis famae pericula tentanda non approbo, sed potius valetudinis habendam esse rationem suadeo, ut diutius de Orbe literario benemereri queas, ideoque tibi, Vir Nobilissime, moderata commendo, quorum durationem constantiorem esse Tua tibi Sapientia dicitur. Quapropter si me ames, quaeso Te, Vir Nobilissime, permittas meis precibus pondus inesse, tuisque muis honesta Chalcedonia concede. Romam perhibent non esse uno anno conditam: nec Praeclarum et Excellentem Hugenium pigebit 20^{bus} annis *Φλομύτων* trophaea colligere, quae per ingenii felicitatem citius (attamen cum salutis discrimine) ad se transferre possit. Noli igitur capiti tuo vim inferre, noli elegantioribus Viris, tuarumque Virtutum cultoribus, (quos inter me quidem minimum, affectu tamen nulli secundum audacter censibus) ocellum suum atque commune delirium eripere. Etenim de me velim ita statuas, me ita esse erga te animatum, ut si tu floreas, ego simul vigeam, si quid Tibi adversi accidat, me quoque pene exanimatum iri fecias. Faxo ut quamprimum intelligam, mea hortamina aliquid momenti apud Te habuisse. Et quoniam non multum ab invicem sumus remoti, quaeso, ubi per vires licuerit, me verbo uno atque altero ad te Hagam Comitit evoca, ut in Tuo vultu et sermonibus me oblectem, ac tecum amicitiae dextras iungam, antequam

¹⁾ Il suit de la date de la vente Elzevirienne, que Lipstorp se servit encore du vieux style.

abhinc Ratisbonam ad imperii Comitia²⁾ et Romani Imperatoris inagurationem³⁾ concedam, quod tribus abhinc septimanis elapsis facere constitui. Optassem quidem, ut iam ante et posthac saepius tibi licuisset adesse, sed quoniam praefens instituti ratio illud non permisit, differendum erit in aliud tempus, et si corpore forsan raro Tibi adesse liceret, efficiam tamen, ut mente tibi et corde continuo praefens sim, Tuique memoriam gratissima recordatione subinde recolam, quotiescunque vel solus egero, vel cum Viris honoratoribus vixero. Causam mei abitus potissimum esse Nobilissimum Dominum Cassium⁴⁾ non dissimulo, qui mihi nuper Ratisbonam significavit adventum suum, et iussu Celsissimi Holsatii Principis⁵⁾ commorationem ibidem aliquamdiu futuram: Cum quo mihi de rebus nonnullis ad me spectantibus conferre lubido est, priusquam ad alias gentes transeam, et ultiores peregrinationes suscipiam. Labores meos exiguos Tibi quoque non improbatos frugii fuisse cottidie intelligo, deumque ut sua gratia futuros secundet, oro. Libros ex Elzeviriana auctione duos transfinito: Bullialdi⁶⁾ Astronomiam philolaicam⁷⁾, et Tychonis Astronomiam Mechanicam. Priorem quidem 6 florenis, 15 stüfers redemi,

- ²⁾ Ferdinand III, fils de l'Empereur Ferdinand II et de Maria Anna de Bavière, naquit le 13 juillet 1608 et mourut le 2 avril 1657. Il fut élu, le 30 décembre 1636, Roi des Romains et, le 15 février 1637, Empereur d'Allemagne. Le 31 mai 1653, dans une assemblée privée des Electeurs, il fit nommer Ferdinand Maria, son fils aîné, Roi des Romains; cette élection fut ratifiée dans la Diète de Ratisbonne: c'est de cette Diète qu'il s'agit ici.
- ³⁾ Ferdinand Maria, fils aîné du précédent et de Maria Anna d'Espagne, naquit le 8 septembre 1633, et mourut le 9 juillet 1654 de la petite vérole; le 5 août 1646 il fut couronné Roi de Bohême, le 16 juin 1647 Roi de Hongrie.
- ⁴⁾ Christian Cassius, né en Schleswig le 8 juillet 1609, mourut le 6 octobre 1676 à Lubeck. Disciple, à Paris, de Hugo de Groot, il vint à Leiden en 1632 et entra en 1634 au service de Johann Evêque de Lubeck, qui le nomma Directeur du conseil.
- ⁵⁾ Frederich Duc de Holstein-Sunderbourg, le 6e fils du Duc Johann II de Holstein et d'Elisabeth de Brunswick, naquit le 26 novembre 1581, et mourut le 22 juillet 1658.
- ⁶⁾ Ismael Boulliau (Bullialdus) naquit à Loudun le 22 septembre 1605, et décéda à Paris le 25 novembre 1694. Né calviniste il se fit catholique en 1626, et devint prêtre en 1630. Dans ses nombreux voyages il visita aussi les Pays-Bas; il resta longtemps auprès du Bibliothécaire Dupuy, puis auprès du Président de Thou à Paris, et se retira à l'Abbaye St. Victor à Paris. Il écrivit beaucoup, mais une certaine légèreté lui fit commettre beaucoup d'erreurs, dont du reste il convenait franchement; il a introduit le terme „evection” dans la théorie de la Lune.
- ⁷⁾ Imaelis Byllialdi Astronomia Philolaica, opvs novvm, in quo motus Planetarum per novam ac veram Hypothesim demonstrantur. Medique motus, aliquot observationum autoritate, ex Manuscripta Bibliothecae Regiae, quae hactenus omnibus Astronomis ignotae fuerunt, stabiliantur. Superque illa Hypothesi Tabulae constructae omnium quotquot hactenus editae sunt, facillimae, addita est nova methodus evivivg ope Eclipses Solares, absque vlla solutione triangulorum sphaericorum ad Parallaxes inuelligandas, expeditissime computantur. Historia ortus et progressus Astronomiae in Prolegomenis describitur & breuiter recensentur ea quae in hoc opere nunc primum prodeunt. Parisiis, Sumptibus Simeonis Piget, via Iacobaea, ad insigne Fontis. M.D.CXLV, in-folio.

ea tamen conditione, ut à tua Nobilitate recipiat librum hunc, eique pretium restituat, nisi proxime suppleverit defectum litterarum D. E. et R partis prioris tabularum philolaicarum, Quod in se facturum recepit. Tychonis Astronomiam mechanicam 4 florenis redempta est, nihilque in ea deficit. Plinius in 12⁸⁾ (quae erat optima editio) non est venditus, licet in Catalogo fuerit adnotatus. Religio Medici⁹⁾ non ardebat, quia nudus ibi textus erat. Significo autem Tuae Nobilitati, esse hunc libellum in forma 8vi ante semestre editum Argentorati¹⁰⁾, adiectis commentariis elegantissimis, Auctore quodam Anonymo (quem tamen comperi esse Serenissimi Holsariae Principis Frederici Junioris, Argentorati impresentiarum degentis, moderatorem dominum Molcken¹¹⁾ Nobilem Megapolitanam). Cavallerii Exercitationes et Camilli Gloriosi¹²⁾ decas 2da et 3tia¹³⁾ me absente fuerunt neglecta, cum tum temporis peregrè abfuerim. Inaudivi tamen, eorum copiam licere impetrare à domino Blaeu Amstelodamensi. Pluribus hac vice tecum agere orium non est. Ego interim Tuam Nobilitatem cum Illustrissimo domino Parenti, Nobilissimis Fratribus et Sorore lectissima salvere, longumque valere iubeo.

Tuae Nobilitatis cultor perpetuus,
DANIEL LIPSTORPIUS.

Dabam Lugduni Batavorum

x Aprilis c1653.

Salve plurimum à communi nostro domino FR. SCHOTENIO.

Viro Nobili, et Clarissimo. Domino CHRISTIANO HÜGENIO, Geometrae et Philosopho excellenti, Domino et Amico meo plurime colendo.

af te geven tot den heufe des Heeren

CONSTANTYN HUIGENS, Juncker von
Sülichem.

In
S'graven-haag.

⁸⁾ C. Plinii Secvndi Historiae Naturalis Libri xxxvii. Lvgdvni Batavorvm, ex officina Elzeviriana. Anno. 1635. III Vol. in-12°. Cette édition fut publiée par Joannes de Laet.

⁹⁾ Religio Medici. Lugd. Batavorum apud Franciscum Haekium: Anno 1644. in-12°. C'est la traduction d'un livre anglais fort curieux et assez libre de diction, intitulé: Physicians Religion. London. 1642. in-12°.

Ce livre était écrit par

Thomas Browne, né à Londres le 19 octobre 1605, mort le 19 octobre 1681 à Norwich. Il fit ses études de médecine à Leiden, puis se livra à l'étude des antiquités. Il était libre penseur ainsi que l'attestent plusieurs de ses ouvrages. En 1671 Charles II le fit chevalier.

¹⁰⁾ Religio Medici cum Annotationibus. Argentorati. Sumptibus Frederici Spoor. c1653. in-8°.

¹¹⁾ Les lettres L. N. M. E. M. qui se lisent sur le titre du dernier ouvrage, désignent: Levinus Nicolaus Molken, Edler von Mardenberg; il voyagea beaucoup dans la compagnie du prince héréditaire de Holstein, et retourna en 1655 dans le Mecklenbourg, où il mourut en 1663, jouissant d'une position distinguée à la cour.